

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

XXXIX. Proposit. (De Octavio Aug.)

urn:nbn:de:bsz:31-102564

initijs dominatio Capetina in limite nostrae gentis crevit, et inter superiora disfidia cunctationesque incrementa cepit, latius progressura, nisi prudentia auctoritasque Caesaris felicibus patriae auspiciis tandem aliquando inhibuisset, et LEOPOLDI nomen Austriae semper faustum (gg) iam quoque Germaniae ac universo imperio felix fortunatumque redidisset. Cui Victori hostum atque tertium Sponso triumphos pariter atque novas Palatinas Neoburgicas necessitudines, quibus magnitudinem potentiae firmat, et praepotentes familias amicitia foedereque coniungit, et se resque suas animis viribusque auget, laeti ac libentes gratulamur, precati, uti sanctum illud foedus auspicato ineatur, ac deinceps augustum decus in Filiis Nepotibusque, quos sperat posteritas, summa cum eius stirpis gloria amplificetur iuxta atque propagetur.

(gg) *Id non mediocriter usu probatum est a LEOPOLDO GLORIOSO, cuius nominis in serie Archiducum I. tum a LEOPOLDO PROBO, bellicarum artium in primis gnaro, et expertae fortitudinis, cum apud Sempachium animose contra Helvetios pugnantem cecidisset: dehinc a LEOPOLDO PVLCHRO, qui alius crassus dictus est, ac impetum Vngarorum, Bohemorum atque Moravorum sustinuit, et pericula maxima in consilium vertit: post a LEOPOLDO SANCTO, qui plus semel exercitum victorem reduxit, et Stephanum Vngariae regem vicit, Austriamque famam factis et consilio munivit, a LEOPOLDO MITI, qui Baioaros in potestatem redegit, a LEOPOLDO qui virtutis elogio celebratus, Augustara domum novis insignibus auxit, infideles debellavit, et Richardum Anglum imperii insulas prensantem mox captum custodia attinuit, a LEOPOLDO quem honoris titulus distinxit, qui Saracenos prostravit, Damiatbam expugnavit, et quoddam belli contra barbaros fulmen fuit, a LEOPOLDO VIII. qui Henricum VII. Imp. auctoritate sua corroboravit, et Sveviae Ducatum, renovata ritus beneficiarii in auguratione familiae suae confirmavit, a LEOPOLDO IX. qui et gentis suae flos, et Nobilium caput, et Germanorum sane bonus fuit, a LEOPOLDO X. qui consilio et iustitia Austriam munivit, et Neostadio castro validissimo arcem imposuit, quibus certe maior est LEOPOLDVS AVGVSTVS, omnibus, qui ipsum praecesserunt, gloriosior, quippe non tantum Austriae, sed Imperii etiam prospero omine successuque instaurator.*

XXXIX. PROPOSIT. (DE OCTAVIO AVG.)

Octavius Augustus quartum COS. bellis civilibus finem imposuit, qui antea triumvir, et Antonii Lepidique collega, post victoriam Actiacam pacis bellique iura constituit, et quae triumviratu egerat, plane rescidit atque abrogavit, et plena adeo summaque potestate imperavit.

Distin-

Distingvendi sunt Augusti Consulatus, quorum tertio vicit Antonium, quarto bella civilia sustulit prorsus, quinto triumphavit magnifice, sexto antiquavit triumviratum. Hunc expresse designat Tacitus. Sexto, inquit, demum consulatu Caesar Augustus, potentiae securus, quae triumviratu iusserat, abolevit, deditque iura, quis pace et principe uteremur. A. III. 28. Quibus verbis tradit, Augustum sustulisse ius populi, speciatimque summovisse ius senatorium, quod erat pars iuris publici, ut docet Plinius iunior lib. II. ep. 14. Fundamentum abrogationis in iure belli, et pacto cessionis populi situm est, quod breviter strictimque Tacitus indicat, quum scribit: Lepidi atque Antonii arma in Augustum cessere: qui cuncta discordiis civilibus fessa, nomine Principis sub imperium accepit, A. I. 3. Ius belli dedit Victoria Actiaca, testamentumque patris adoptivi C. Caesaris confirmavit. Cessionem lex regia declarat, quam decimo eius consulatu factam, Dio commemorat lib. LIII. spectatque eo Diodorus Siculus lib. XXXVII. eccl. 2. Equidem decretum illud, quo omnis potestas in Augustum collata est, coepit dici lex regia, auctoribus loquendi iureconsultis, qui subtilitati student et formulis, ac res actaque publica, ab historicis prodita, artis suae vocabulis describunt. Postea enim, quam populus longo tempore unius imperio assuetus, statum praesentem, mutata reipublicae facie, patienter tulit, iurisperiti summam isthanc potestatem, a SPQ. translata, neque vi, sed iure firmatam, legis regiae nomine appellandam censuerunt. Res ipsa tam certa evidensque est, ut negari nequeat, quando ipsum aeris Capitolini monumentum, etsi temporum iniuria mutilum, decreti huius solennis, translataque imperii veritatem corroborat satis. Locuples idoneusque testis Dio scribit. τότε τὸ δῆμος, καὶ τὸ τῆς γερουσίας τὸ πᾶν κέρτος, εἰς τὸν Αὐγύστον μίτησιν. Atqui haec Mart. Schoockio, qui negare ausus est, convincenda sufficiunt inpraesens. Hinc undecimo Augusti consulatu numus quidam aureus, cum imagine trium globorum cufus, signum praebet Imperii, tres magnas terrarum orbis partes, Europam, Asiam, Africamque complectentis. Exinde intelligi potest, unde arcessendum sit Augusti imperium, quod alii ab anno V. DCCX. numerant, quo caedes C. Caesaris peracta est, ut Eusebius in historia E. lib. I. c. 5. Alii ab Actiaca Victoria, et Aegypto subacta ducunt, cuius metropolis fuit Alexandria, urbs ad Nili ostium, quae in numis signata est facie mulieris, cum capite in turris figuram formato.

§. II. Ianum ter clausit, et quater edidit ludos, quos magno sumtu populo exhibuit, et congiaria saepius distribuit ac donavit.

Duo in praesens exponenda veniunt, quorum alterum ad Ianum pertinet, alterum ad ludos. Iano templum in medio foro erat positum, quod duas portas habuit, quae ut aperiebantur bello, sic pace clauderentur. Geminus ideo appellatus est, vel quod duos populos, Quirites et Sabinos, uno imperio coniunctos notaret, vel quod praeterita simul et futura cerneret, quorum alterum Servio Grammatico in XII. Aeneid. alterum Ovidio placet in fastis. Iani templum ab Augusto ter clausum est, ut omnes emendati Svetonii codices legunt in Augusto c. 22. Ex quo desumpsit Orosius lib. VI. c. 20. Cum utro-

XXXIX. PROPOSIT. DE OCTAVIO AVG.

que sentiunt Poetae, sed numerum non definiunt, Horatius lib. IV. carm. od. 15. Maro Aeneid. I. 298. Hinc Ianus gemina facie sculptus conspicitur in gemmis et numis. Quem Numa dicavit, et pacis bellique indicem esse voluit: quorsum conf. Livius I. 19. Plinius lib. XXXIV. c. 7. Plutarchus in Numa. Herodianus I. 16. Ab Iano nomen tulit primus Romanorum mensis, qui dicitur Ianuarius, in quo inest terminus anni exacti, et principium incuntis, cuius rei causam originemque edisseruit Plutarchus quae est. Rom. XIX. De ludis maior restat difficultas, quos plures numerat Iustus Lipsius, et vel solo Consulatus argumento elicere studet, Augustum plus vicies exhibuisse ludos, lib. II. el. c. 17. Sed omnino hic gravis ratio est, quam obrem a V. C. dissentiamus. Nam vel sola Tranquilli auctoritas pervincit, ut statuamus, non plures, quam quatuor ludos auspicio mandatoque Augusti exhibitos fuisse. Cuius testimonio standum est, neque fingenda ad arbitrium sententia scriptoris historiae Augustae. Verba illius concepta adscribere non piget, quippe plana, et intellectu facilia, quae non suo, sed Augusti nomine recensuit Tranquillus. Fecisse ludos se ait suo nomine quater: in Aug. cap. XLIII. In monumento illustri, quod industria Andreae Schotti servatum editumque est, quodque sine omni dubitatione vidit et respexit Svetonius, ipsemet Augustus loquitur, aut loquens introducit, unde indicio numeri consecutarum bestiarum, iniri potest numerus ludorum, ab Augusto exhibitorum. Tales ludi erant quatuor, pleni et solennes, quos suo nomine Octavius Augustus celebravit. Reliqui erant non solennes, quos agnovit et distinxit Svetonius, verbisque sequentibus indicavit eodem capite citato. Pro aliis, inquit, magistratibus, qui aut abessent, aut non sufficerent, ter et vicies. Qui sane ludi ut ter et vicies peracti sunt, sic a prioribus diversi erant, atque adeo solemnitate ratione multum inter se distabant. Nihil ex sententia Tranquilli mutandum, quae sibi constat, neque officit celeberrimi ludorum, quos Augustus instituit, neque impedit, quo minus plures, minusque solennes ludos, ab Augusto et apparatus, et exhibitos dicamus.

§. III. Inprimis liberali fuit facie, et forma vultuque decoro superavit avunculum Caesarem, ominaque et signa felicioris imperii habuit, atque auctore consilii usus est Mecoenate, viro prudente et taciturno, Regumque Hetruscorum sanguine prognato, atque hoc adiutore negotia confecit, fortunatus ubique ac felix, sed foris felicior, quam domi in aula et familia sua: omnium denique victor hostium, praeterquam Germanorum, a quibus duas accepit clades, alteram probrosam nimis, alteram prope ipsi et Imperio exitiosam.

Faciem Augusti ingenuam numi signant, et oculos, nasum, capillosque animi indices haud obscure commonstrant. Mecoenatem sibi ascrivit, qui fuit praefectus urbis, et in aula Augusti princeps, a fide et taciturnitate commendatissimus, nisi quod interdum uxori apertior erat; quae de causa ab Augusto reprehensum legimus, ut testis est Svetonius in eodem cap. 66. Quem Horatius et Propertius Equidem vocant, sed originem stirpis regiae non dissimulant, et aperte testantur, ex quibus lucem accipit Velleius, qui equestri,

eqvestri, sed splendido genere natum scripsit. Cuius nomen et cognomen distinguendum oportet, ut Cildnium Mecoenatemque conciliemus. Quin redderet populo imperium, multa obstabant; neque id volebat Augustus, neque Mecoenas erat passurus. Suetonius ex Dione interpretandus est, qui fictam simulatamque Augusti orationem a seria distinxit, lib. LIII.

XL. DE ARMINIO.

ARMINIVS, de quo dicturus sum, gente Germanus fuit. Is natus in Cheruscis, et dignum Germano animum, et prolusurum instituto militari nomen habuit. Quod facile perspicuum erit Tiotismi nostri indolem pensitantibus. Cuius vim quum non adsequerentur Romani, haud, puto, videbitur mirum, eos Arminium, quem nos Hermannum, adpellasse.

§. II. Discedimus hic igitur a G. Ruxnero, qui vetera Germanorum nomina repetit a Troia. Neque eo melior est Laurentius Hochvartus, qui eum splendorem quaerit a peregrinis, domesticum sane praetermittit decus. Multo rectius de his tradiderunt nuper doctissimi viri P. Albinus, R. Reinccius, H. Meibomius, aliique.

§. III. Sed redimus ad Cheruscas, quibus Patriam debet Noster. Ii, si Raymundo Marliano tribuenda fides est, Leodiensis pars territorii fuerunt. Sed multa sunt, quae dissidere cogunt a Marliano. Nos cum Davide Chytraeo coniecerimus, eas infedisse sedes, quas hodie solent, qui Brunonis colunt vicum, agrumque. Quem in Saxonia sua videas licet. Fere sub Historiae initium. Cui addatur velum P. Cluverius introd. Geogr. l. 3. cap. 3. Idem disertè affirmat in Germ. Antiq. Cheruscorum posteros Brunsvicenses appellandos. Paulo tamen latius interpretatur Cheruscas Girclamus Caninus, in Tab. Italice scripta. Perperam de his Althamerus, angustius existumat H. Iunius. Nil decidit Fr. Philippus Ferrarius in Lex. Geograph. Quod non mirum. Peregrinus in Germania Italus fuit.

§. IV. Iam liquet Saxonas fuisse Cheruscas, eoque Germanos. De quo adeo nullus dubitat Germanus, ut nec ipsi Romani ullam dubitandi haberint occasionem.

§. V. Lubentes hic praeteribimus Saxonum hanc antiquissimis retro temporibus fuisse rationem, ut alii Ostphali, s. Orientales, alii Angrivarii s. Angarii, (a) nonnulli VVestphali s. Occidentales dicerentur. Legi eo possumus VVitichindus, antiquissimus Saxonum scriptor, et Conradus Vrspergenfis. Saltem ab illo dissentimus in parte Originum nostrae gentis. Quam, fallit, dum a reliquiis Macedonici exercitus arcessit. Quo nomine eum secuti incautius sunt Gottfridus Viterbiensis, ipse etiam Vrspergenfis, et pariter hunc